Quelle:
Copyright:



Heilbroner in Hist. Mathes. pag. 301. ait, Joan. Regiomontanum novam Ptolemæi Cosmographiæ adornasse traductionem," nam vetula ista Jacobi " Angeli Florentini, quæ vulgo habetur, vitiosa " est; interprete ipso, si bona venia dictum fuerit, " neque linguæ græcæ satis, neque notitiam Ma- " thematicæ tenente. Quæ in re sumis arbitris " fidem haberi fas erit, Theodoro Gaza, claris- " simo viro, ac græcæ latinæque doctissimo, " et Paulo Florentino, græcarum quidem haud " ignaro, in Mathematicis autem plurimum " excellenti". Quibus pag. 306. nota t) subjungit: " Nominatus Jacobus Angelus primus Ptolemæi " Cosmographiam latine vertit ao 1400. cum " autem multos invenerit errores Regiomontanus " novam condidit translationem, quæ vero ludem " publicam non vidit; scripsum autem, in quo " Angeli errores annotavit, Argentorati A. 1525. " prodiit". Versionem Jac. Angeli Ms. Venetiis in Bibl. S. Antonii evolvit Mabillonius T. I Musei italici p. 37.

De Ptolemæo vid supra Cod. XXXII.

Jac. Angelus. Jacobus Angelus Florentinus e Scarparia vallis Mugellanæ oppido, cujus vitam dedit Laurent. Mehus in Sylloge Epistolarum Leonardi Dati, floruit circa initium Sæc. XV.

Not. In Antiquitatibus typograph. quæ adservantur in Bibl. Monast. Seitenst. p. 239. adducitur hujus Cosmographiæ editio admodum rara s. Ulmæ per Leonard. Hol, 1482. Fol. : cum Epist. Donisii Nizol. Germanni ad Paulum II., eidemque Donisio versio latina adscribitur, sed perperam; eadem enim omnino est cum nostra ms. adeoque Jacobi Angeli, qui Donisium dimidio præ- " cessit sæculo.